



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

12. Dies Maii. Ut rosæ rubent, & pungunt, sic libido rubet verecundiæ opprobrio, pungit peccatiaculeo. S. Fulgent. Mithol.2.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Majus.

Tessera.

359

improborum primum. Primum se peccatorum pronuntiavit Paulus, nec potuit mentiri os illud Spiritus sancti. An tu forsan meliorem te putabis tanto Apostolo? & esse hyperbolem centebis, aut modestiam, te vocare maximum sceleratorum? Non nocebit si te postposueris omnibus; nocebit immaniter si te præponas vel uni. Quantum times ne pereas, tantum cavene superbias. Nec enim erravit à fulco veritatis, dum ita loquitur Poeta.

*Est verum verbum: frangit Deus omne superbum.*

## 12. DIES MAIL.

Ut rosæ rubent, & pungunt, sic libido rubet verecundiæ opprobrio, pungit peccati aculeo. *S. Fulgent. Mythol. 2.*

Luxuria. I.

**U**bi rosæ, ibi spina; ubi dux est luxuria, ibi comes est tristitia. Quod factum est, fecisse est pudor, & ideò dolor: ex dolore timor, ex timore angor, ex angore horror. Hæ sunt hujus rosæ, ubi emarcuit, spinæ. Ubi cumque ergò est stimulus carnis, illic est & aculeus cordis. Quid quòd ex luxuria, ut in arboribus foliorum, sic in hominibus vitiorum pullulat luxuries? Et inde quàm amari fructus. Audi Apostol. (a) *Quem ergò fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis.* Relege vestigia luxuriæ, quid reliquit, ubi voluntas assensu deliquit, nisi mœstas

Z 4

&

(a) Rom. 6, 21.

& fœdas in memoria imagines, opacas, in intellectu tenebras, miseram in voluntate servitutem, intestinum in spiritu bellum, sollicitam in mente anxietatem, inquietum in corde pavorem, mordentem in conscientia vermem, immensum in toto homine ob præterita mœrorem, ob præsentia pudorem, ob futura horrorem. Hi sunt hujus amaræ radicis amarissimi fructus, & nondum illis obstupescunt tibi dentes!

II. Tale est luxuriæ vitium, ut ei lenocinanti conivere homo non possit, sine conscientia angore, sine famæ damno, sine fortunarum jactura, sine memoriæ corruptione, sine mentis hebetudine, sine animi crimine, sine corporis discrimine. Tale est libidinis ingenium, ut si permittas ejus titillationi indulgere tuum genium, non te deseret ante ultimum spiritum. Quapropter in ipso introitu, ruenti luxuriæ obfistendum est. Cautè agendum est, ne ullus ei in animi adyta pateat aditus. Facilius enim virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutem est transitus. Hoc vitium si addiscas à terrenis unguiculis, idem erit tibi in pectore, quod unguis in ulcere. Si ab illo flagitio te non terret, qui inde in mente oritur terror, cohibeat saltem, qui inde fronti oboritur, pudor. Propone tibi verba Senecæ: (a) *Etiam si scirem & Deos veniam mihi duros, & homines non cognituros, tantum propter carnis vilitatem, peccata carnis fugerem.* Assonat Romano Philosopho, Romanus Orator: (b) *si Deos, inquit, hominesque celare possumus, nihil libidinosè faciendum.* Et tanti vis emere, pudere! Quis mentis stupor, vel potius furor, illud flagitium committere, cujus certò pudebit, tædebit, pœnitebit commissi?

III. Hu-

(a) L. 2, de clement. (b) Cic, Offic. 3.

III. Hjus genii perversi cupiditas est, ut sinu-  
 trias, esuriat. Quantumque ut illam saties, confers,  
 semper clamabit: Affer. Non prius ab illa audies:  
 Sufficit, nisi dum vita deficit. Ut ejus compescas ra-  
 biem, & expleas ingluviem, nega quæ petit, ablega  
 quæ expetit. Postquam plurima concessit Fredericus  
 Imperator importuno petitori, facete respondit. *Si  
 tu non facis petendi finem, ego inveniam negandi prin-  
 cipium.* Hoc non dicat, sed agat: neget quisq; libidini  
 inhianti quod petit, cui negare sine pudore, aut que-  
 rela potest. Nemo illi enim satisfaciet, nisi non satis  
 faciendo. Si non potes importunam illam belluam,  
 quæ rogat negando à te fugare, superest fugere. Sa-  
 tius est fugiendo vincere, quàm pugnando cadere.  
 Fugiendo effugies non tantum flagitium, sed flagitii  
 periculum. Et ne probrum interpreteris sic fugere,  
 audi Hieronymum. (a) *Cur, inquit, pergis ad arenam?  
 Videlicet ne me capiat oculus meretricis, &c. responde-  
 bis: Hoc non est pugnare, sed fugere: sta in acie, adver-  
 sariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris. Fa-  
 reor imbecillitatem meam, nolo spe victoria pugnare, ne  
 perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devi-  
 tavi, si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum.  
 Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta secta-  
 ri? ideo fugio ne vincar. Est consilium Poëtæ:*

*Hunc fugiendo fuga, quem fuga sola fugit.*